

* Euseb. in Hsa. 45. 20.

rentur. Eusebius (*) de sua aetate, quarto nempe saeculo, testatur, omnium sermone & characteribus descriptos Sacros Libros nullam gentem latere. Cum vero inter omnes linguas Latina maximè & Syriaca post Græcam latius obtinerent, Versiones illa N. T. omnium primè non immeritò reputantur.

VERSIO SYRIACA.

Persuasum est apud Syros, vernaculam N. T. Versionem ad gratiam Regis Abgarum pertinere, quem Regem ferunt nunciis ad Jesum Christum missis, illum invitasse, ut ad Urbem Edessam Regni sui Metropolim confugeret. S. Thadæus eò à Jesu Christo missus, in eam Versionem laborasse fertur. Sed cum eorum omnium fides apud Eruditos nostræ ætatis nutet, nihil exinde certi, ne quid gravius dixerim, pro historia ejusdem Versionis deduci posse arbitror. Valtonius totâ eâ discussione omisâ ad gratiam Apostolorum Versionem illam censuit pertinere, eo potissimum ductus argumento, quòd in eo Codice nihil legatur, tam de secunda Epistola S. Petri, eum de secunda S. Joannis, S. Judæ, & Apocalypsi; unde facilis conjectura, opus illud adornatum, antequam hæc omnia in Canonem reciperentur. Verum eos omnes Libros, non secus ac reliquos, in Canonem Syri recipiunt; eorumque Versiones ejusdem Valtonii operâ in Polyglottis Londinensibus insertæ sunt. Si in nonnullis Syris Codicibus desiderantur, idem contigisse credendum est, quòd Operum illorum minor esset usus, sive raritas major.

Sunt qui Versionum illarum Authorem constituunt Thomam Heracleensem, cuius tamen operâ potius recensitos Sacros Codices censemus; cum Exemplaria Syriaca pluribus saeculis antea obtinerent, quàm ille Ægyptum peteret, corrigendis Codicibus illis ad normam Græcorum Monasterii S. Antonii. Post eam aetatem, receptum est apud Syros, ut Codices suos ad Exemplaria ejusdem Thomæ emendarent, ut potest quæ omnium potissima haberentur (1).

Syrorum nonnulli autumant (2), S. Marcum post scriptum Latine Evangelium suum, Hebraicè vel Syriacè, quæ vernacula erat tum temporis Hebræorum lingua, reddidisse; idemque deinde & cum aliis Libris N. T. ab ipso eodem Authore præstitum. Simonius (u) arbitratur, Syriacam illam Versionem nequè Antiochia, neque in regione illa, quæ peculiari nomine Syria appellatur, ubi Græcus sermo vernaculus habebatur, sed potius in Transsephragia, ubi Syriacus, adornatam fuisse. Huic conjecturæ multam deest ad persuadendum; quamquam enim Græcus sermo Antiochia & in florentissimis ejus regionis Urbibus vulgo obtineret; in agro tamen & in reliquâ Syriâ pristina loquendi ratio familiaris haberi potuisset. S. Ephrem quarto saeculo, & Moyse Bar cepha decimo, in ea regione versantes, Syriacè scripserunt; nec infrequentes occurrunt Episcopi in Conciliis, qui Syriacè tantum loqui norant.

s Euseb. Renaudot in Ad. d. ad Biblioth. Sac. P. Le Long pag. 659. Guil. Po. stel. uti narrat Guido Fabric. Boderian. in Præfat. tom. 5. Polyglott. An. ruerp. u Simon. Histor. Critic. N. T. p. 162.

Vidmanstadius & Guido Fabricius in ea fuerunt sententiâ, Originale S. Matthæi apud Syros mansisse; nec sanè ulla fuit ratio, quare scriptum Syriacè Opus Syriacè verteretur. Verum ut persuadeamur, Syriacam S. Matthæi Versionem è Græco expressam, nihil præstandum nobis, quàm ut utrumque simul exemplar conferamus. Regnat in Syro Exemplari Græcus genius; errata plurima deprehenduntur, quæ non nisi ex Græco subreperunt; & sanè expressam eam Versionem constat è Græco vetustissimo, unciali characterè, Exemplari, antequam accentuum usus super vocales litteras obtineret; ejusdemque Græci Codicis voces inter se non satis distinctas fuisse oportet; sunt enim plura in Syriaco menda, quæ non nisi ex varia legendi accentus, & puncta adscribendi, ac tandem distinguendi voces Græcas ratione, referenda videntur (x).

Aliud etiam animadversione dignum occurrit, Syriacum scilicet prorsus congruere cum Græco, quod sibi vertendum Author Vulgate proposuerat, ut Syriacus semper cum Vulgata in his quoque locis conveniat, in quibus illa à Græcis impressis sive Ms. diffidet. Ea porò est utriusque Versionis affinitas, ut D. Millio (y) suspicionem moverit, num Syriacus ad Latinam Versionem reformatus fuisset; sed cum paulò diligentius rem examinasset, suam hanc conjecturam futilem inanemque deprehendit.

VERSIO LATINA.

Latina N. T. Versio originalibus ipsis penè coepa, ad tempora Apostolorum spectat, quamquam certum ejus tempus & Author ignoratur. Cum Romani Imperii ditiositate per orbem porrecta esset, usdemque ferè finibus, quibus Imperium illud, Lingua Latina terminaretur, qui usdem litteris Versionem Scripturæ traderent, plures fuerunt. Ex quo enim quispiam de lingua Græca & Latina aliquid norat, satis sibi esse in censu arbitrabatur, cur portionem aliquam N. T. vertendam susciperet. Hinc inundarunt aded Versiones, ut earum copia numerum vinceret, juxta ac S. Augustinus observat (z); Qui Scripturas ex Hebraica Lingua in Græcam translulerunt, numerari possunt; Latini autem Interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, ausus est interpretari.

Hinc copia illa variantium in omnibus Latinis Exemplaribus (a), quæ deinde Damasum Pontificem impulit, ut à S. Hieronymo novam versionem precario obtineret. Porò inter præscas illas Versiones eminebat & generali assensu probabatur Italica Versio (b), quam alio nomine Communem, Vulgatam (c), & Veterem (d) appellabant; cuius illud ferebatur elogium (e): Verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ. Post versionem S. Hieronymi, vetus hæc Italica nullibi locorum in tegra in Ms. reperitur. Extant tantummodo collecta quædam fragmenta, sive scri-

x Vide Prolegom. D. Mille Prolegom. 1237. & seq.

y Mill. Prolegom. 1249. 1250.

z August. l. 2. c. 11. Doctric. Christ.

a Hieron. Præfat. in quatuor Evangelist. Tot entis sunt Exemplaria penè, quot Codices.

b August. l. 2. de Doct. Christ. c. 15.

c Hieronym. in Usai. 19. & 49. d Gregor. Magn. Præfat. Moral. e August. de Doct. Christ. l. 2. c. 15.

scripta nonnulla, veluti Evangelium S. Matthæi, Epistola S. Jacobi, Job, Psalmi, alique quidam Libri publici juris facti in nova Editione S. Hieronymi, & seorsum in exigua molis Libello. Priscam V. T. Vulgatam restituendam in sua Romana Editione Nobilius suscepit; sed cum Patres, è quibus longa ille fragmenta descriptit, non ratò dictante memoriâ scriberent, an integer Veteris Vulgatæ Textus in ejus Opere maneat, ambiguum est & incertum. Manuscriptum tamen Corbejense quatuor referens Evangelia, spem de reliquis tandem in publicum proferendis facit.

Cum de S. Hieronymo fertur, Versionem illum N. T. suscepisse, Novum Testamentum Græca reddidit auctoritati (f), non est continuè reputandum, novam illam Versionem aded molitum fuisse, ut nihil ex Italica retineret. Ita, ait ille Præfat. in quat. Evang. ad Damas. calamo temperavimus, ut his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua patremur manere ut fuerant (g); quæ S. Doctoris cautio ejus Versioni toti Ecclesiæ approbanda ac veteri abolenda magno opere contulit. Plura tamen supersunt monumenta Veteris Italicæ, quæ in Vulgata, quæ in operibus PP. & Ms. uti in Claramontano, S. Germani Pratenfis Græco & Latino, in quibus omnibus, quæ ex Veteri Interprete, quæ vedè ex S. Hieronymo, satis discernuntur.

D. Millius integram Latini Interpretis S. Matthæi fidem ad religionem usque recognoscit, quem dicit non ratò ipsi Syntaxeos regulis neglectis, ipsos in Textu suo casus, genera & modos nominum ac Græcorum verborum expressisse. Censet Versionem Latinam S. Marci alterius esse à Latina S. Matthæi Authoris; illi enim eidem rei exprimendæ aliâ ab isto voces usurpantur; à quo pariter felicivis Græcorum vocum exprimitur. Adhuc autem & Interpretem S. Lucæ alium censet ab illis; sicut & alium S. Joannis, quod iisdem conjecturis demonstrat. Vereor tamen, ne viri docti critica subtilior sit quàm res tulerit. Quis, rogo, Latinas Interpretes iisdem semper vocibus utitur? Quis eundem retinet stilum, cum ad litteram vertendos suscipit Scriptores, quâ stilo, quâ scribendi genio aded diversos, quantum inter se S. Matthæus, S. Lucas, & S. Joannes discrepant?

VERSIO ARABICA

h D. Simon Hist. Critic. N. T. c. 18. i Badvel. in Epist. Joan. ad calcem Valton. Prolegom. c. 14. n. 23. k Mill. Prolegom. 1295.

AN Versio Arabica N. T. è Græco sive è Syriaco expressa sit, non satis convenit inter Authores. E' Syriaco defendit Simonius (h); è Græco Badvellus, & Valtonus (i). D. Millius (k), qui Syriacum & Arabicum cum Græco sedulò contulit, egregiè demonstrat, Arabicum ex aliis deducendum fontibus, quàm è Syriaco, cum duo illa Exemplaria frequenter inter se discrepent, maximè in lectio- ne propriorum nominum locorum, Urbium, & provinciarum. Erpenius persuasum ha-

buit, quatuor Evangelistas è Græco in Arabicum translulisse Nesulamanum quendam filium Azalkefat; reliquum verò N. T. è Syriaco Exemplari ignotum alium Authorem vertisse (l); quod suffragio suo viri alii Eruditi nonnulli confirmant.

VERSIO ÆTHIOPICA.

Græco Alexandrino optime notè Exemplari Versionem Æthiopicam N. T. debemus [m], cujus tamen Author non satis interdum in reddenda vi Græcarum vocum felix est, sive quòd Græcas litteras minus calleret, sive quòd oscitans scriberet. Quæ illi varietas in variis N. T. Libris animadvertitur, totum opus pluribus Authoribus deberi satis demonstrat (n). Quatuor Evangelistarum Versio correctior est reliquâ, & exactior; in reliquis enim Author interpretationes quasdam de suo addere religioni non ducit. Subinde quasdam in Codice desiderantur, quibus suppleendis ab Editoribus ad Græca & Latina Exemplaria confugiendum fuit.

Tempus & Author ejus Operis acqùe ignorantur: spectat facile ad exordium annunciati apud Æthiopes Evangelii; quod alii factum credunt saeculo quarto S. Athanasii aetate; alii, sexti dimidio Justiniano imperante. Sunt qui opus credant Monachorum, quos Frumentius ad Æthiopes ad Christiana Sacra translatos duxit (o); nec desunt, qui eidem Frumentio, tribuant. Observatum est, Versionem hanc Æthiopicam plurimum congruere cum vetustissimo Ms. Alexandrino, nostræ aetate in Anglia servato. Menda etiam nonnulla deprehenduntur, non aliunde quàm ex veteri isto vel alio simili Codice derivanda.

D. Abbati Renaudot (p) remota illa Versionum Æthiopicarum, qualis vulgo asseritur, vetustas non persuadetur. Expressas enim credit è Versionibus Copticis sive Ægyptiis, quæ pariter originem suam referunt ex vetustis Ms. Græcis in Ægypto vulgatis, unde repetenda affinitas illa inter codicem Æthiopicum & Ms. Alexandrinum. Ceterum operæ pretium est animadvertere, Æthiopicam linguam, qualis Versio illa exprimitur, non vernaculam esse hodie apud eos populos orientem, sed vetustiore alteram hodie abolitam (q), & olim ante desertam ab Æthiopibus urbem Auxumam, vulgarem.

VERSIO COPHTICA.

Versio Coptica sive Ægyptiaca, nunquam, quamvis maximè omnium Orientalium excusarum Versionum meretur, typis vulgata est. Minus sanè præ illa curandæ fuerant reliquæ, veluti Arabica & Persica, quarum hæc postrema non nisi ex alia priori Versioe expressa est. Porò Versio hæc Coptica è vetustis probatisque Ms. est adornata. Variantia plura, ex variis Ms. Codicibus Copticis studio D. Marechalli collecta, Millius in sua Editione N. T. vulgavit; quorum pariter alia non pauca in N. T. Oxoni-

l Erpenius Præfat. in N. T. Arab. editum Leid. 1616.

m Mill. Prolegom. 1472.

n Idem Prolegom. 1188.

o Vide Ludolf. Histor. Æthiop. l. 3. c. 4. & Epist. ad Hottinger. & Hottinger. Dissert. 3. de translatione Bibl. in ling. vernaculæ in Appendic. ad Bibliot. Sa. cr. P. Long pag. 666.

q Ludolf. Histor. Æth. l. 1. c. 15. n. 6. 10. 11. 20.

r Vide Jacob. Le Long Bibl. Sacr. t. 1. c. 2. sect. 9.

s Pall. Histor. Lausac. c. 26.

t Prodom. Copth. c. 8. Ita & Simon. Disquis. Critic. de variis Bibl. Edit. c. 21.

u Pil. Epist. ad H. Ot. Mill. Prolegom. ad N. T.

nienti an. 1675. publici juris facta sunt. Suspicantur nonnulli (r), ipsa S. Antonii aetate, tertio nempe saeculo exeunte & inente quarto, Aegyptiam Versionem aliquam jam obtinuisse; vir enim ille Sanctus, qui nonnisi Aegyptium sermonem norat (s), majorem Scripturarum partem memoriâ complectebatur, & datâ occasione in colloquiis suis earum sententias apud laudabat. P. Kircherius (t) censet, circa medium quarti saeculi coeptam Versionem Copticam adornari; quam ille opinione probat ex fide vetusti Coptici Martyrologii, referentis, Monachos ejus aetatis in vertendis ex Graeco, Hebraeo & Chaldaeo in Copticum Sacris Libris potissimum occupari. D. Pisk (u) Versiones Copticas non nisi ab octavo saeculo vel prius aliquanto revocat. Ceterum Copticus sermo inter priores illas & matrices linguas habetur; vetus est enim Aegyptius, quamvis maximè corruptus.

VERSIO PERSICA.

Dux circumferuntur Persicae Versiones: recentior ex Graeco adornata, curâ Abrahami Vecloch, linguae Arabicae Cantabrigiae professoris, publici juris facta est: vetustiore & melioris notae Syriae expressam, Valtonius in suis Polyglottis (x) impressit. Posterior haec satis fidelis quidem, interdum tamen à Textu recedit, & glossas quasdam minus necessarias addit.

x Vide Mill. Prolegom. in N. T. G. Proleg. 1369.

VERSIO ARMENA.

Versionem Scripturarum suam Armeni ad S. Chrysostomi aetatem spectare arbitrantur (y); adornatam vero autumant duplicis Scriptoris opera, Moysis scilicet Grammatici, & Davidis Philosophi. Ex Graeco tota tam quoad Vetus, quam ad Novum Testamentum expressa est. Prodiit Antuerpiae primum A. 1666. deinde alibi pluries. Sunt qui illam tribuant S. Chrysostomo (z), dum in exilio suo Cucuse detineretur; alii vero tradunt (a), B. Mesropam consilium agitantem tradendi gentilibus suis Armenam Scripturarum Versionem, misisse sub Theodosio juniori duos de Discipulis suis, Eznar & Josephum, ad urbem Edessam, ubi juncta simul opera Versioni incumbere. Adornarunt igitur Opus ex Syriaco Textu. Sed utraque haec opinio ejusdem est fidei & auctoritatis. Constat sanè, Armenam Versionem è Graeco repetendam (b), quo tamen Authore, incertum.

y Uscam Episcop. Armen. apud D. Simon. Histor. Critic. V. T. l. 2. c. 16.

z Georg. Alexand. qui claruit an. 620. & post eum Sixt. Senens. l. 6.

a Author vita S. Mesrop. apud P. Le Long Bibl. Sacr. c. 2. sect. 8. p. 230.

b Mill. Proleg. 1402.

VERSIO GOTHICA.

Ulphilas, qui circa annum, J. C. 360. Episcopum Gothorum agebat (c), Gothicae Versionis est Author. Ab eo viro inventos characteres Gothicos tradunt Socrates, Sozomenus, & Philostorgius; addentes, veritè illum pariter universam Scripturam, solis Libris Regum exceptis. Id autem eo consilio à viro praestitum,

c Vide Mill. Proleg. 1396. & Praefat. in N. T. Goth.

quod timeret, ne tot bellorum, quae in Libris Regum leguntur, lectione, bellicosa gens & fera plus nimis animaretur.

Porro Versio ista longâ oblivione sepulta mansit, donec fragmenta quaedam Mss. in Abbatia Werdinensi, non longè à Colonia, reperta sunt. Codex erat membranaceus vetustissimus, argenteis scriptis characteribus, quin & aureis initialibus literis ornatus; hinc nomen inditum Exemplari, Codex argenteus. Emptum est 500. ducatis pretiosum illud vetustatis monumentum à D. de la Gardie Sueciae Cancellario, quod deinde exscribens Franciscus Junius, publici juris fecit A. 1665. ad ditis Notis D. Mareschalli, & Lexico.

Ulphilas Arianam sectam profitebatur: verum si ve opus adornavit antequam à fide descisceret, si ve eâ, quam profitebatur, ingenuitate, si ve metu ne doli mali convinceretur, illud planè constat, loca omnia, quibus maximè haeresis impugnatur, integrâ fide in ejus Versione servari. Unus est in cap. 13. S. Joannis Textus, qui suspicandi ansam praebet; sed facta ejus cum altero ejusdem Interpretis loco collatio, ab omni illius fraudis suspitione liberat. Fidem secutus est veteris & probatissimi Graeci cujusdam Codicis, cujus ille sinceritati sinceritate sua adeo respondit, ut perisse reliqua hujus preciosissimi monumenti aegre feramus.

Maxima omnium, quae ex Versionibus haec utilitas deducitur, illa est, nimirum constare ex illis quam secuti sint legendi rationem veteres codices, unde Versiones illae exprimentur; alioquin enim in scientia Graecae Linguae nostrâ aetate nihil vetustis illis Interpretibus conceditur. Sed de genuina & vetusta Graecorum originalium lectione non satis convenit, quod Exemplaria Graeca discrepare plurimum hodie deprehendantur. Quare commodissimè accidit nosse quam lectionem Veteres secuti sint, ut certa in nostris Exemplaribus determinetur.

De Versionibus quâ Latinis, quâ vernaculis nostrae aetatis nihil agendum ducimus in praesenti, tum quod ab intento nimis abduceremur, cum etiam quod labori par fructus non responderet. Gallicam Versionem ad Latinum Textum & ad Vulgatam tunc etiam in Commentario sequuti sumus, cum Graecus Latino meliora praefere videretur. Sedulò pariter alijus momenti variantia tam Graeci & Latini quam Graecorum Exemplarium, ad infimas paginarum oras, ne Textus nimis inferretur, adnotavimus.

Porro eandem in Novi Testamenti interpretatione, quam in Veteris, methodum sequuti sumus, nisi quod plus aliquid in Novo laudavimus ex PP. Graecis & Latinis, genuinis scilicet divini hujus Operis Interpretibus. Junximus Authores Catholicos unâ cum illis, Ecclesiasticae traditionis in sensu Sacri Textus seriem continuantes. Nec in rebus criticis, & literaribus Textuum expositionibus Authores Protestantés negleximus. Fatemur autem ingenuè, plus externè opis retulisse nos in

Novi quam in Veteris Testamenti interpretatione, quod Graecum N. T. eloquium plus multò innotescat, quam Hebraeum Veteris. Major sanè fuit difficultas in conciliandis inter se Evangelistis, & mente S. Pauli attingendâ; minima profectò in genuina verborum significatione pandendâ.

In historia Harmonica & Chronologica juxta quatuor Evangelistas eam Chronologiam secuti sumus, quam D. Toynardus statuit, cujus docti viri Harmonia nuper typis excusa est. Consensus autem cum peritissimis Chronologistis Aetate Vulgarem Ecclesiae Latinae usum post Diony-

siam exiguum receptam, nempe post saeculum sextum, triennio ferius veram Epocham ab exorto Jesu Christo repeti, adeò ut quo loco nos hodie annum Jesu Christi 1715. supputamus, statuendus esset annus 1718. Aequivocationi autem tollendae in annorum adscriptionibus duplicem Epocham assignamus, vulgarem nempe, & veram; ut primus J. C. annus juxta Aetate Vulgarem respondeat quarto J. C. juxta Epocham genuinam; & cum J. C. diem clausisse statuatur Aetate Vulgari anno 33. aetatis, ejus loco juxta veram Chronologiam scribendum esset, aetatis 37.

IN EVANGELIUM S. MATTHAEI PROLEGOMENON.

a Marc. 2. 14. Luc. 5. 27.

b Hieron. in Matth.

c Chrysol. 1. 6. homil. 28.

d Mar. 2. 13. 14. Luc. 5. 28.

e Mar. 2. 14. Vidit Levi Alphae sedentem ad telonium.

f Chrysol. hom. 23. Theodoret. Psal. 67. ver. 28.

g Grot. ad Mat. 9. 9. Videt Cleric. in Homm. ad Luc. 5. 27.

S. Matthaeus Evangelii, quod modò exponendum suscepimus, Author, Alphaem habuit patrem (a), patriam Galliam, Religione fuit Judaeus & professione Publicanus. Publicanum egisse ceteri Evangelistae non satis exprimentes Levi tantummodo appellant, quod scilicet invitum esset apud Judaeos Publicanorum nomen, & munus [b]. Sibi tamen vir Sanctus eâ cautione utendum non censuit; sed nomen suum & munus palam annunciat, quò beneficii à J. C. accepti, Apostolatus nempe, magis magisque donum commendaret, suoque demonstraret exemplo de miseratione Dei nemini desperandum (c). Urbis Capharnaum incolae telonium habebat extra Urbem positum, in litore maris Tiberiadis (d); unde transiens Jesus Virum ad sui sequelam invitavit.

Cognomen illud Alphae sive filii Alphae, quod apud S. Marcum (e) obtinet, suspitionem movit Veteribus nonnullis (f), cui fidem addunt Graeci recentiores, fratrem habuisse S. Jacobum filium Alphae sive minorem, cujus tamen opinionis nulla species est veritatis.

Conjecturas quasdam Grotius (g) congegit adversus receptam illam opinionem, qua S. Matthaeus cum Levi filio Alphae, de quo SS. Marcus & Lucas, confundit. Observat ille; 1. S. Matthaeo nunquam adjectum Levi cognomen, nec vicissim Levi nomen S. Matthaei in omnibus N. T. Libris; 2. Heracleonem, à S. Clemente Alexandrino lib. 4. cap. 5. laudatum, Matthaeum & Levi in duos viros distinguere, nec ejus sententiam S. Clementem refutasse; 3. Origenem contra Celsum lib. 1. scripsisse, Levi Publicanum, qui Jesu Christo comes accessit; inter Apostolos non recenseri; nisi, ait, in quibusdam Exem-

plaribus S. Marci. Profectò Exemplaria, quaedam illius Evangelii & inter cetera Mss. Cantuariense legit Marc. 2. 14. Jesus vidit Jacobum filium Alphae, alia legunt: Vidit Mattheum Publicanum; pro eò quòd in Vulgata & plerisque Codicibus tam Mss. quam impressis Graecis legitur Levi Publicanum. Addit Grotius, Levi praefaturam facile gessisse telonii; Matthaeum vero ministrum ejus fuisse; & convivium, de quo S. Matthaeus, non in Matthaeo domo sed Levi instructum.

En Grotii conjecturas, quas minus habere ponderis agnoscimus, ut contra Veterem opinionem assertam adeò, omnibusque historiae circumstantiis congruentem, quemadmodum ipse etiam Grotius fatetur, valeat. Heracleonis auctoritas, Originis dubitationes, silentium S. Clementis, quorundam Mss. lectio tantine faciendae est, ut Codicum omnium, & perpetui omnium Scriptorum assensus, tum & 17. saeculorum possessionis fidem enervet?

Faustus Manichaeus olim, scriptum à S. Matthaeo Evangelium, quod ejus nomine habemus, negandum sibi susceperat; quòd scilicet, cum in eodem Evangelio ejusdem Matthaei vocatio refertur, non scripserit Sacer Historicus: Jesus vidit me, & ait mihi, sequere me. Bella Authoris ratiocinatio, digna sanè, cui adeò solida, & gravis Augustini refutatio opponeretur (h). Rufinus l. 10. c. 9. & Socrates l. 1. c. 19. alique nonnulli (i) tradunt, S. Mathaeum in Aethiopia Evangelium annunciasse; in Perside sive apud Parthos S. Ambrosius in Pl. 45. S. Paulinus [k], alique. Incerta omnia; & cum non raro apud Authores Aethiopiae nomen latissimo sensu usurpetur, designatam facile credimus eo nomine Provinciam quandam Regni Parthorum, ex quo nullo negotio utraque haec sententia conciliaretur.

h Aug. l. 1. 17. c. 4. contra Faust. Manich.

i Eucher. qu. l. 1. p. 379. Fortun. l. 5. c. 1. Gregor. in Reg. 9.

k Paulin. carm. 26. Ita Martyrolog. sub nom. Hieron. & alii.